



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis, Commentariorum Libri LVIII

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Lib. XXI. Accipiter.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

JOANNIS PIERII VALERIANI  
HIEROGLYPHICORUM  
LIBER XXI.

DE IIS QUÆ PER ACCIPITREM  
SIGNIFICANTUR

Ex Sacris Ægyptiorum literis.

AD JACOBUM SADOLETUM VIRUM PRÆSTANTISSIMUM.

**C**ommentaria de sacris Ægyptiorum literis, quæ aliquot abhinc annis inter varias occupationes, quæ studiorum meorum cursum sapius interrumpere, conscripserim, prout ab amicis, modo hoc, modo illo postebantur, ita sua singulis distribuere consuevi: toto enim hac lucubratio ad eorum suum obsequium accommodata. Inter hæc tamen, cum Accipitrem pleriq; à me extorquere contendissent, impetrare minime potuerunt, quod eum, honoratiss. Pater, præcipuum mei erga te cultus & obsequii argumentum esse constitueram. Memor enim tuorum erga me meritorum neq; non humanitati & beneficentiæ, quæ me totiens duro meo tempore liberalissime profecutus es, id semper in animum incidit meum, ut quando nullam tibi beneficiis gratiam referre possem, quantum saltem tibi deberem, apud omnes ingenue profiterer. Accipitri itaq; meo id præcipue mandavi, ut quaqua iter arripere, quaque exspectaretur, si modo probante Deo volatum auspiciatus esset, Sadoleti merita, merita locorum ubiq; meo nomine predicaret: neque tamen magni se effecisse aliquid arbitraretur, si doctrinam hominis in unoquoq; plurimarum genere absolutissimam, si summum ingenium, si beatissimam ejusdem eloquentiam attestaretur (non enim nostra hæc indigent prædicatione, quæ sua se vi, per universum jam terrarum orbem immortali cum laude divulgavit: nomenq; nullo unquam tempore, inter mortuorum sibi ipsa peperere) sed in quadam admirabili patet, nulli quippe parem in eruditione tanta humanitatem, nulli in amicitia aule nostra consiliis castiores mores, nulli manus ad promerendum promptiores, nulli ad amicum quorumcumq; res juvandas, officia præsentioni. Natos è literatis hominibus plerosq; sibi, natos alibi patria, domesticæve suis, alios ita huic vel illi, ut per factiones etiam reliquos infecerent: Sadoletum unum ad totius humani generis commoditatem huic sæculo ab immortalis Deo datum. Hæc secum attuleris est Accipiter noster, quem pro testimonio operis ipsa tua omnibus cognitissimam subsequantur, neque non omnium, quotquot ætate nostra viri probi sunt, susclamatio consensu mirifico repetita. Sed enim tu, qui ut licentissimus es, ita etiam humanissimus, cum hæc leges, puta te Pygmaeorum agmen intueri, quod dormienti Herculi negotium facere conetur, armag, ejus omnia sibi afferere mitteretur, qui tamen si nihil proficere videantur, de ridiculo tamen conatu delectabile possunt spectaculum exhibere. Interim quid Accipiter ex Ægypto attulerit, explicare incipiam.

DE ACCIPITRE. CAP. I.

**A**ccipitris quidem significata multa, & admodum varia sunt, cum ex eo victoria, celeritas, aer, sacerdotium, Sol, Deus, Animus, Mars & Venus, & pleraq; alia hieroglyphico schemate ostendantur, quorum causas sigillatim explicare nostri fuerit instituti.

SOL. CAP. II.

**P**ræstantissima autem omnium apud Ægyptios consideratio super Accipitre fuit, ut Sol eum æquipararent, solarisq; vigoris symbolum, hieroglyphicumq; inter volucres omnes constituerent: propterea quod animal esset genitura, ut compererant, fecundissima, eaq; de causa in eo genere rege xlv recensebant, quem Latini Buteonē appellarunt, sive quod re ipsa tres habeat testes, sive quod duos tantæ salacitati sufficere non posse crediderint. Ea nuncupatione Agathociem Siciliæ

Unde Enanthes in fabulosis illis sacris solis id est, apollini tradit, cum Homero. ægyptus respicitur. Communem meretricis, vel scortum profanum,



**A**lia tyrannum à Timæo historiæ scriptore notatum observavimus, quem tota pueritia *νοινόν πρόγονος* fuisse tradit, nec minus petulanter reliquum ætatis tempus in nequitia peregrisse. Cæterum Accipiter præter id, quod egregie est prolifica vi præditus, id etiam commune habet cum Sole, quod & vivacissimus esse perhibetur, & jubari ipsius radios firmiter intuetur. Unde etiam fit, ut Medici ad oculorum morbos Accipitrinæ herbæ utantur beneficio. Qui quidem rerum consensus etiam transit ad metalla. Siquidem ferunt ossa ex ejus tibiis admota auro, ita id attrahere, quemadmodum Magnes ferrum sibi cogit adhærescere: nimirum enim Chymici aurum solare metallum ponunt. Porro Accipitrem Apollinis nuncium dici, legas apud Adamantium. Plutarchus, qui eundem Osirim & Solem interpretatur, omnino propter eximiam videndi facultatem hoc assertum putat. Habet & aliam cum Sole similitudinem Accipiter, quod ut perhibent, tricesimo quoque die soleat feminæ confortium appetere, uti Sol eo circiter temporis intervallo superato, Lunæ conjungitur. Ea vero fuit mortalium religio, Medicinæ inventum Apollini adscribentium, ut in desperatis à clinica medicina morbis, cujusmodi quartanæ sunt, in quibus parum illa, ut nihil pollet, persuasum sit vel pulverem, in quo se volutaverit Accipiter, lino rutilo in linteolo adalligari decumbentis collo, remedio, ut ajunt, efficacissimo.

## DEUS. CAP. III.

**S**ed cur ego dissimilem, quod ab Eusebio refertur super altis hujus præstantia, ut inquit ille, à Zoroastro traditum, Deum Accipitris habere caput? quippe qui inter omnia ea, quæ labem nullam aut corruptionem sentiant, primus ingenuus, neque interiturus unquam, partium expers, sibi que ipse simillimus, bonorum omnium origo atque author, rerum pater omnium optimus ac prudentissimus, factum justitiæ lumen, absolutissima naturæ perfectio, ejusque inventor & sapientia: quas dotes cum Soli plerique attribuant, quanto magis ejus authori summo conveniunt, qui tabernaculum suum in eo, uti apud scriptores divinos legitur, collocavit.



Cur Deus per Accipitrem.

Hinc: Hæm. Iliad. libr. v. Orogæus ignarus pernicioses accipitribus.

## SUBLIMITAS. CAP. IV.

**M**otum ad hæc philosophantis cujuspiam, qui recta feratur in sublime, nulla præ rationis fallacia perplexitateve labefactus, sed quicquid hic conspexerit, statim surrigat ad Deum, iidem ipsi sacerdotes ostendere si vellent, Accipitrem sursum versus aera captantem pingere consueverunt. Cætera enim volatilia, si cursum arripuerint in sublime, obliquo ferri tractu, curvatisque spatiiis agi coguntur, neque recta cursum possunt intendere. Solus autem Accipiter sublimipeta recto meatu volat.

## HUMILITAS. CAP. V.

**C**ontra vero, si à sublimium consideratione sese ad hæc interiora demiserit, quasque ibi ideas conspexerat in centro hoc recognoscat, neque ab recto quicquam aberrarit itinere, volentes indicare, Accipitrem identidem sese ad terram demittentem faciebant: nam volucres reliquæ, veluti sursum versus volaturæ, per circuitus ascendunt, ita cum descendunt, transverso, tortuosque volatu id facere coguntur. Verum Accipiter, uti sursum versus efferendus, recta fertur, ita si superne delapsus, ad terram humipeta fiat, recto ad nos tramite defertur.

Animus alatus.

## ANIMUS. CAP. VI.

**C**um itaque potiores volandi partes Accipitri data sint, animusque sit Platoni alatus, sint volatilia etiam in Paradisum deliciarum, quippe in animam ad hominem adducta, quod varios ipsius cogitatus ostendit, non immerito Accipiter tam ob hoc, quam etiam ob ea quæ superius dicta sunt, animi simulacrum habetur apud Ægyptios: hique duo quos ponunt motus, totidem in animo affectus



affectus indicant, qui tunc accipiter sublimipeta est, cum cogitationem in Deum & in celestia sur-  
 rigit: humipeta vero, cum se ad ea, quae terra beneficia sunt examinanda applicaverit. Accipi-  
 trem igitur sursum versus tendentem si quis pingat, animum qui ad divina sustollatur intelligemus,  
 quem si ad inferna delabentem effinxerit, Philosophum praecipue Peripateticum, cuius scilicet,  
 omnis contemplatio circa materiam versatur, delineatum intuebitur. In universum autem, ut  
 Hesychius ait, volatilia in sacris literis homines ostendunt, qui contemplatione vacant, terrenis se  
 negotiis haudquaquam immiscetes: quod si necesse fuerit ab ea se dejicere, statim revolant in subli-  
 me. Nam & Eucherius sanctum virum hieroglyphice poni tradit per Accipitrem in Divinis literis:  
 sive ea de causa quam superius attigimus, sive quia volucris haec praecipue, mutata veteri penna, in-  
 signiter renovatur. Ita vir qui se Deo dedicat, inveterata prioris vitae studia projiciens, simplicem  
 bene vivendi regulam assumit, ad quam omnem vitae suae rationem dirigit, eoque spectare Jobis di-  
 ctum, Numquid in sapientia tua plumescit Accipiter?

Cap. 39, v. 26

## MARS ET VENUS. CAP. VII.

Marti &  
 Veneri cur  
 dicantur Acci-  
 pitres duo  
 utrumque se-  
 xus.

**E**Rat & illud apud sacerdotes Aegyptios memorabile commentum, quod Martem & Venerem  
 per duos utriusque sexus Accipitres intelligebant, quorum marem Marti, foeminam Veneri de-  
 dicabant. Causam figmenti eam memorant, quod reliqua foeminei sexus animalia maribus concu-  
 bitum assiduam deposcentibus minime morigeras sint, quod una praestat Accipiter: trigefies enim u-  
 no die requisita, quantumlibet secesserit, appellata a mare iterum atque iterum obsequitur. Foemi-  
 nas vero maribus morigeras, sive ut in aliquot Hori codicibus habetur, in Venerem procliviter  
 pronas, elogio Veneris Aegyptii honestabant: difficiles autem, rusticas & morosas, ab huiusmodi co-  
 gnomento repellabant. Alia item causa est cur Martis vocabulo Accipiter accipiatur: quia scilicet  
 ex traditione quadam astronomica sanguinem a Marte regi noverat, cuius Accipiter est egregie  
 sitibundus: est autem animal omnino violentum, imperiosum, caedis cruorisque avidum. Hinc  
 apud Platonem in Phaedone, legas eorum animas qui dominationem per violentiam, & injuriam &  
 rapinas exercuerint, post obitum in Accipitres & Milvius abire.

## RAPINA. CAP. VIII.

Accipitrum  
 qui inter-  
 a illius. Cu-  
 us ad quid.

**H**unc quoque sacrae literae Levitico mensis inferri prohibent: propterea quod rapax alioquin  
 animal ad impietatis quidem disciplinam, ut diceret Hesychius, curatur, & imperata facere  
 assuescit, usus tamen ejus ad simplicium avium exitum expetitur. Hi sunt, qui sacerdotalem huius  
 vel illius familiae vitam professi, meliora secuti videbantur, ut nihil jam his ad hominis vere Chri-  
 stiani tranquillitatem abesse videretur: Principum tamen aulas affectantes, ad rapacitatem, ad pri-  
 stinos reverfi mores, & suis & aliorum libidinibus inservientes, divina profanaque omnia commi-  
 scunt. Hinc haesum favor, atque fomentum, hinc bellorum adhortationes, impulsionesque, hinc  
 bonorum pressurae vexationesque, populorum caedes, urbium incendia, regnorum everfiones, ter-  
 rarumque desolationes oboriuntur. Sic olim Basilus, sic Athanasius, sic Chrysostomus, sic magno  
 numero alii male habiti: sic nunc armorum sonitum totus fere Christianus orbis excivit, quia tra-  
 gedia quam sit habitura catastrophem, nemo coniectare potest: calamitatem tamen in Christianum  
 nomen facile omnes praesagire possunt.

## FILIORUM ABDICATIO. CAP. IX.

Aquila &  
 Accipitris  
 convenien-  
 tia.

**S**imile quid Aquilae in Accipitre accidere tradunt Aegyptii, cum scilicet tria pariat, unum tantum  
 ovum seligere, fovere, ac alere, reliqua vero duo confringere. Quapropter iidem ipsi sacerdotes si  
 quem filios domo exactos ablegantem exprimere voluissent, Accipitrem foetam, vel incubantem,  
 pingere soliti erant: ita tamen rem accipiebant, ut qui abdicaret, vel a se rejiceret, propter egestatem  
 & inopiam id facere cogeretur. Nam eadem in Accipitre causa fertur, cum in Aquila non indigen-  
 tia, sed fastidium in causa sit, ut unum tantum alat. Ferunt autem incubationis tempore unguis Ac-  
 cipitri decidere, quorum adminiculo destituta, fit ut vix ad alimenta, quae uni sufficiant conquirenda,  
 idonea sit: quare, ne qui reliquus est unus pareat, omne in eum studium & diligentiam impendit.

VITA



## VITA VITALIS. CAP. X.

**A** Sed illud interim oblivisci nolim, alitem hanc indicium esse vitalis vitæ: sive id propter sanguinem, cuius est avidissimus: sive propter Solis imaginem, quam exscribit: sive, quod receptum erat apud Aegyptios, circa centesimum ætatis annum, ut supra dictum est, Vulturis Commentario, hominem ex defectu cordis deficere, ut Plinius etiam attestatur: nam, ut Varro tradit, hominis aniculi cor, quod sæpe in his Commentariis repetendum erit, duarum est Drachmarum, atque ita singulis annis usque ad quinquagesimum, accedunt binæ, constatque hominis quinquagenarii cor centum Drachmis, Ab eo tempore, annis singulis totidem imminuitur drachmis, quot exereverat, creditumque inde, ex defectu humani cordis non ultra centesimum annum posse homines vivere: cuius <sup>Hominis anni completi ex Dioscoridi & aliis.</sup> modi vitæ terminum in homine statuisse videtur etiam Dioscorides (Astrologum illum Dioscoridem intelligo ex cuius dictatis ea excerptit Varro) ille enim hac ipsa ratione compertum se habere scripsit Alexandria inter libitinarios, quorum ibi cura mortuos exenteratos, & aromatibus delibutos <sup>et aliis.</sup> diutissime conservare, hominem plus centum annis vivere non posse, eaque de causa Empedocles, quem in hoc Aristoteles secutus est, ante omnia cor iudicavit increfcere, quod hominis vitam maxime contineat. Quamvis Hippon, Democritus, Anaxagoras, Diogenes, atque alii nonnulli aliter, quorum bona pars cerebro principatum formationis attribuunt. Quod tamen pertinet ad annorum centena, Mathematici & Divinæ nostrorum literæ viginti insuper addunt, neque amplius cuiquam esse concessum asserunt, atque hoc terrarum orbe iam mortalibus expleto, & vitæ nostræ decreto quasi quodam divinitus promulgato. Illud etiam adijciunt, Mosem solum, Dei, (ut Judæorum libri loquuntur) familiarem, centum viginti quinque annos vixisse, qui cum quereretur quod juvenis interiret, responsum ei ferunt à numine, neminem plus esse victurum. Hæc Pollio. Plurimum vero octoginta & unum à natura & à syderibus concessum ajunt, quod vitæ spatium his potissimum condonatur, qui & corpore & animo valeant, ut Platoni, Dionysio Heracleotæ, Diogeni Cynico, Eratoſtheni & Xenocrati Platónico liberaliter concessum. Qui vero centesimum attigerint, Carneades, à quo tertia Academia est, quæ dicitur Nova, neque non Cleanthes & Xenophanes Colophonius, Democritus Abderita, Isocrates Rhetor, & Gorgias Leontinus, cum aliis plerisque memorantur.

## ÆGRITUDINE CONFLICTATUS. CAP. XI.

**Q**uod autem dictum est imminui cor in senium vergentibus, sunt qui cor dentibus ambesum <sup>Causa præcipua senii.</sup> pro homine ponant, qui ægritudinibus afflicti. Nam Homerus frequenter admodum iis & exedi, & consumi cor ait, qui vehementiori aliqua animi ægritudine conflictantur, quod ipse una cum Hesiodo facile homines in anxietatibus & ærumnis in senium ire pestum asleverat, fatalemque <sup>Hesiod. i. legunt.</sup> neque non naturalem ætatem ita vitio vel imprudentia nostra comminui. Pythagoras quoque volens nos admonere, unicuique vitæ suæ curam minimè negligendam esse, eruditè simul ac sapienter imperavit, <sup>Corne edito.</sup> *μη ἐδίστην τὴν κατὰ φύσιν*, hoc est, adhibendam esse diligentiam, ne nosmetipsos ægritudinibus subicere contendamus, quæ potissimum in causa plerisque sunt, ut dono divum concessus vitæ cursus interrumpatur.

## ANIMA. CAP. XII.

**Q**uoniam verò Latini sermonis authores, animum quo sapimus, animam qua vivimus esse dicunt, nos eorum secuti distinctionem, eum superius de iis quæ ad animum pertinent ex proposito argumento disseruimus, nunc quæ ad animam faciant exequemur: quamquam differentiam eam non usquequaque receptam video, unde necesse sit interdum, vel in eodem utrumque significato ponere, vel alterutrum usurpare. Animam igitur quæ nostræ sit vitæ fundamentum & sedes, <sup>Animus consilii.</sup> *ψυχή*, quæ sapientia: anima, <sup>ψυχή, quæ movemur, & sentimus.</sup> *ἄνιμα*, apud Aegyptios per Accipitrem intelligi voluere, quandoquidem *ΒΑΙΕΤΗ* apud eos is est, qui apud Græcos *ἵεραξ*, apud nos Accipiter: Aegyptiaca verò elementa illa si per syllabas dividantur, *ΒΑΙ* per se animam, *ΕΤΗ* vero cor significat. Utebantur enim illi libenter ex huiusmodi compositione vocibus, ex quibus ipsa rei natura, vel originatio, vel aliqua vis appareret: quod & apud Hebræos



bræos frequentissimum est, ut una cum locutione ipsa, res etiam qualis, cuiusmodi sit, intelligatur: ut quo vocabulo cælum nominant, constare id ex aqua & aere doceant, cum Adam dicunt, & crassam qua compacti sumus terræ materiam, & insitam simul mentem ostendunt: mentem enim terræ applicitam id nominis significare tradit Philo. Sed jam quid commerii anima cum ipso corde habeat, videamus. Aegyptiorum opinio fuit, cor esse animæ receptaculū: quasi igitur omnnis cogitatio significetur, & inesse animam cordi constet, per Accipitris ipsius picturam animæ reminiscetur. Neque quidem Aegyptii tantum, verum & Stoici animam in corde potissimum statuerunt: sentiendi enim vires omnes ad sensum, quem ex re ipsa communem vocamus, uti flumina ad mare, confluunt: hic autem, si Aristotelem sequimur, in corde est. Neque absurdè dixerimus, ab eo maius quinque corporis sensus, visum, auditum, gustatum, odoratum, tactum, quasi quinque maria mediterranea, diffusos intrare corporis continentem, quæ manifesta Platonis in Theateto sententia fuit. Quod vero super animo paulo ante dicebamus, eum Accipitri comparatum, imo alitem ipsam pictam congruum huius esse symbolum, redigit in memoriam mihi Zoroastris dictum: *Alarum quæpe esse animum*, quod apud Platonem latissimè dileritur, decidentibusque alis præcipitem eum in corpus ferri, illisque mox succrescentibus ad superos revolare. Sed percontantibus eum discipulis, quo pacto alis bene plumantibus animos volucres fortiri possent: *Irrigeris*, inquit, *alas aquis vita*. Iterum sciscitantibus, unde has aquas peterent: sic per parabolam, qui erat hominis mos, respondit: *Quatuor amnibus Paradisus Dei alluitur & irrigatur, indidem vobis salutare aquas hauriatu*. Quæserit vero aliquis, quinam hi fluvii sint, ut si Accipitrem mersare suum ibi velit, eos nanciscatur. D. Ambrosius flumina Zoroastris quatuor virtutes totidem, in quas dividitur sapientia, prudentiam quippe, temperantiam, fortitudinem, & iustitiam intelligit, fontemque esse sapientiam, ex quo flumina hæc quantacumque sunt deriventur: nam in Divinis literis fons passim accipitur pro sapientia, ad quem accedere sitientes admonemur, de quo plura in cælo aquis irriguo. Ubi vero Plato in *larum*, quas animæ tribuit, mentionem incidit, per alas naturalem eam intelligentiam capit, quæ, ut inquit Alcinoüs, est intellectio quædam in anima quæ corpori sit applicita, non ea quæ animo à corpore soluto convenit: ea igitur, cum labem à corpore contraxit, numquam sese tollere humo poterit, nisi fluminibus, quæ posita sunt, infestum eluerit scelus. Quoniam vero sunt qui duram metaphoram contendant, Gangem, Nilum, Tigrin, & Euphratem (ea enim iis amnibus nomina faciunt) pro quatuor illis virtutibus poni, quæ omnem in hominem, vita principatum obtinent, minime iuravit importunum hæc latius interpretari,

## PRUDENTIA. CAP. XIII.

Primus fluvius.

EX amnibus his Gangem primum enumerant, qui pro Prudentia ponatur. Trahit hic ramenta auri, carbunculum, prasinum lapillum, quem alio nomine Smaragdum vocamus. Aurum pro inventis prudentium sapius accipimus, unde divinum numen per Prophetam ait: *Odi illius Aurum & argentum*, de quo quidem alio loco commodius. Devolvit & splendidum carbunculum, in quo scilicet animæ nostræ vivit igniculus, qui si tempore suscitetur, neque apta fomenta deficiant, micantissimum ignis fulgorem totis sit ædibus exhibiturus, ut in anima corpori insita, pennarum radices actæ altius inhaerescant, quæ si prorumpere semel cœperint, brevi sint omnem corporis molem per sublimen aera libratura. Per Smaragdum vero virorem intelligas: porro autem quæ virent, vivacitatem præ se ferunt. Ostendit præterea viror, præteriti seminis vitam. Autum fulgore suo præfertium rerum pretia proponit. Carbunculus excitato lumine, quid futurum sit, quidve advente cœperit, quæ tria sunt prudentiæ munera. Ganges ad hæc (Phison, est Hebræis) vocabulum significare tradunt oris mutationem, sive dicere velimus, sermonis varietatem: non enim Ganges unam tantum gentem circumit, sed ut ajunt, omnem terrarum orbem ambit, & ut nonnulli opinati sunt, vel mysticè rem intelligentes confixere, in Libyam usque prolabitur: manifestè enim accipiendum mythologum non ad historiam, sed ad mysticum aquarum sensum animum adjecisse. Atqui prudentiæ munus est prodesse quamplurimis, neque ullam tam remotam, tam efferam gentem prætermittere,







Vergil lib.  
9. Aeneid.  
Aeneid, l. 2

gnificare voluissent, Accipitris imaginem faciebant. Multorum sane opinio fuit, animam esse sanguinem, sive ut Empedocles arbitrabatur, in sanguine. Hinc illud apud Poetas, *Purpuream vomit illa animam*. Et, *Vitam cum sanguine fudit*, & alia hujusmodi. Et apud Ovid. Pythagorico monitu exturbare quorumcumque animalia cognatas nobis animas nefanda caede ideo prohibemur, ne sanguine sanguis alatur, & in hanc sententiam tum apud Græcos, tum apud Latinos plurima. Quamvis alio significato accipi purpuream animam, alio de Piscibus commentario docuimus, ubi agitur de purpurea una icu collidenda, si sanguinem ad tinctum comparare voverimus. Sed quantum ad eos pertinet, qui sanguinem animæ commiscunt, ego non ita fuerim impius, ut non profitear, de brutorum animis hoc tantum intelligi, de quibus capite nono Genesios scriptum est, *Anima illius in sanguine est*, cum in homine tantum ex animalibus, anima per se vitæ sit, suæque se contineat immortalitate. Et quamvis Salomon pro concione tertia, unum eundemque interitum hominis, & jumentorum, & æquam utrorumque conditionem, ex impiorum opinione posuerit: ex sua tamen sententia, pulverem ad terram reverti, spiritum ad eum qui dederat, asseverat. Basilius ad hæc, ubi concione octava dicitur quinto locum exponit. *Educat terra animam viventem*, brutorum tantum animam esse sanguinem dicitur. Ait vero sanguinem coactum in carnem suapte natura verti, carnem autem corruptam in terram redire, unicuique manifestum: itaque jumentorum animam terream quandam esse naturam. Eos verò valere jubet, quos nihil quicquam pudet animas suas, Equorum, & Canum, in eadem specie collocare, quique se ipsos etiam, & mulieres, & frutices, & æquoreos Pisces olim fuisse reminiscantur, idque afferere non erubescant: quos quidem Pisces fuisse nemo sanæ mentis dixerit, quo vero tempore ista hæc literarum monumentis mandavere, expertes magis rationis quam Pisces fuisse, quilibet mente judicioque polleat, dubio procul asseverarit. Illud verò commercii cordi est cum sanguine, ut ex Philosophorum observatione compertum sit, cor iis omnibus esse, quibus & sanguis: id quod etiam de jecinore proditur. Neque tamen infirma est eorum opinio, qui nonnihil sanguinis ab jecinore procedere judicant. Sedenim potior eorum, qui sanguinis principatum cordi dedicarunt, à quo, tamquam à fonte perenni, in venarum conceptacula diffundatur, nusquam enim nisi in corde sanguinem concrecere, ex Medicorum & Aristotelis traditione dicimus, in quo quidem primum oritur, etiam antequam totum corpus informetur, quæ idem latius libro de Animalibus tertio pertractat. Ac ne interim nos plura de anima, de corde, de sanguine differamus, ea consulto præteribimus, quæ dici possent, si quid cordi, quid jecinori, quid arteriis, quid venis inseruiat, & unde triplex animæ potestas originem & fundamentum consequatur, repetere voluissimus: sed enim hæc ita breviter tacta sufficere visa sunt, pro reditione causæ, cur talia Sacerdotes Ægyptii pingere commentum essent. Illud addam, sanguinem religiosissimò Hebræorum ritu in summo cultu semper habitum, quem ex alite qualibet effusum simulacrum ostenderint, inperso pulvere sepelire pro magno negotio habent, quod persuasum illis ex Prophetarum dictatis, sanguinem ad contractæ labis abolitionem, & minorum depurationem facere: sed non intelligunt, mysterium id ad pretiosissimum Christi sanguinem spectare, cujus aspergine maculæ omnes nostræ, cum expiari voverimus, abluuntur.

Cor enim  
ex Aristot.  
fons arteri-  
arum, ve-  
narum,  
sensuum.

VICTORIA GLORIAE. CAP. XVIII.

Accipitris  
super alitis  
reliquas  
præstantia.

Denique propter eas dotes, quas huic aliti natura supra volatilium aliorum conditionem elargita est, factum, ut in universum Accipiter esset excellentiæ hieroglyphicum, præcipueque victoriæ significaret: nam reliquas omnino voluces volatu antecellit. Neque frustra Theoclymenus apud Homerum, observato Accipitris auspicio, Telemachum bene sperare jubet, ejusque genus in Ithaca supra reliquorum omnium gloriam potens, celebre & illustre futurum pollicetur. Ea sane Accipitris prærogativa est, ut agilitatis in volando principatum obtineat, ab eoque desumantur præclara illa alarum insignia, quæ cumque in hujusmodi deveniant gloriæ significatum. Hinc victoriæ hieroglyphicum passim in numis, & monumentis alatum, quia victoriæ partæ fama sese statim humo tollit, amplexaque gloriæ per summum æthera latè volat, perque immensos terrarum tractus expanditur, offensiones impedimentaque omnia agilitate sua declinans. Hinc ipsi numi victoriæ dicitur, quibus



**A** bus Drusus in Tribunatu plebis octavam partem æris argento miscuit. Hinc Musis coronæ ex pen-  
 nis quas ex Sirenum alis evulsere, postquam eas in certamen impulsu Junonis congressas facile su-  
 peraverant, ut Eustathius & Pausanias meminere: quamvis alii Serenas indignatas sponte alas de-  
 posuisse dicant, rei que monumentum esse Apteram civitatem, ea de causa cognominatam. Ut cumq;  
 vero, ad id Homerum alluisse ait Eustathius, cum *ἔνια ἠεργὴν* protulit: quem Horatius noster  
 secutus, *volare verba* dixit. Et nostri per pennas columbæ deargentatas in Psalmo fermones Dei in-  
 terpretantur, ut ait Adamantius, quod merum est hieroglyphicum. Philosophi ad dissectionem ac-  
 ris quæ verborum tamquam alarum illapsu fiat, id referendum autumant. Sedenim de Musis, alibi  
 locus erit suus.

*Eustathium  
 in Odyss.  
 & Pausani-  
 as in Baco-  
 ricis.  
 Verba ala-  
 ra, & semel  
 emissum  
 volat irre-  
 vocabile  
 verbum.*

VICTORIA PERPETUA. CAP. XIX.

**Q**uamvis autem & in Olympia, & vulgo esset alatum Victoriæ simulacrum, apud Athenienses  
 tamen exarmatum alis cernebatur, ut & Pausanias & Heliodorus Periergeta meminere: Miner-  
 væque fuisse signum dedicatum, in cuius dextera manu malum Punicum esset, in læva galea, de quo  
 ita Harpocraton: *λυκῆργος ἐν τῷ πρῶτῳ ἱερῶν, ὁ δὲ νίκης ἀθηναίων ἑωδῶν ἀπὸ τοῦ ἄρουρου, ἔχον ἐν αὐτῷ τῆ δὲ  
 ξιφῶν ῥοιάν, ἐν τῇ ἑνωμένῳ κερῶν ἐπιματῶν.* Id ea de causa factum Pausanias tradit, ne Victoria dis-  
 scederet Athenis, ac alio quopiam abvolaret. Ita numen apud se perpetuo detineri posse arbitrati  
 sunt Athenienses, dum alarum omen, veluti quoddam instabilitatis signum, reformidabant. Nam  
 quæ Amori alæ attribuntur, ad frequentissimas in eo rerum vicissitudines referuntur, ut Propertius,  
 de eo qui figuram ejus pinxerat libro II.

*Victoria a-  
 las, & sine  
 ali.*

*Idem non frustra ventosus addidit alas, Scilicet, alterna quoniam jaçamur in unda,  
 Fecit & humano corde volare deum: Nostrag, non ullis permanet aura locis.*

Alæ autem à Cyro visæ, quæ Darii humeris inhærentes, una Asiam, altera Europam inumbrabant,  
 nimirum victoriæ signum portendere. Solitus vero est Darius, qui sibi totius orbis victorias pro-  
 ponebat, pallam gestare auro distinctam, quam aurei Accipitres tres, velut rostris inter se concurre-  
 rent, adornabant, literis ΝΙΚΗΤΙΚΩΤΑΤΟΣ, inter

**C** alas & singulorum caudas dispositis. Et Antiochus  
 magnarum sibi conficis expeditionum, quia multa  
 strenuâ fecerat, gentes plurimas debellaverat, urbes  
 innumeras subegerat, ut longa victoriarum continua-  
 tione illustris, Accipitris cognomine vocari gestiebat.  
 Septem autem Accipitres qui Vulturem insectaban-  
 tur, victoriæ ejus signum hieroglyphicè constitu-  
 ti fuere, quam viri septem in Smerdis Magi exitium  
 conjurati, assecuti sunt, votique compotes facti, pa-  
 triam ab illegitimo Rege liberaverunt. Ille siqui-  
 dem, regnum sibi nullis natalibus comparaverat,  
 veluti Vultur, non ex legitimo conceptu, sed sine  
 patre generatus ex vento, Est & illud victoriæ si-  
 gnificatum hieroglyphicum, quod in antiqua col-  
 umna Viterbii spectatur, duo scilicet Accipitres ex  
 diverso advolantes, per quos, ut nonnulli tra-  
 dunt, Herculis ab Alpibus, & Osiridis à Brundu-  
 sio modus in Gigantes neque non victoria describitur. Neque vero ea solum de causa, quod  
 Accipiter volatu præstet, quodq; alæ victoriæ attribuntur, ales ea victoriæ symbolū est: verum ob  
 id etiam quod ejus pugna tam artificiosa est, eo que astu patrat, ut necesse sit hostem, qui cum ea  
 congressus fuerit, omnino vinci. Nam si cum fortiori res agatur, tum sese in aère resupinat, unguis  
 sursum versus intendens dimicat, alas vero caudamq; inferius expandit, quibus vice soli fungatur.  
 Unde fit, ut cum adversarius voti compos fieri minimè possit, vel re infecta abire cogatur, vel omni-  
 no su-



*Cur sit a-  
 ria symbo-  
 lum Accipi-*

K k no su-



no superetur. Quæ quidem solers dimicatio, cum sit etiam Noctuarum propria, quæ majore circumdante multitudine resupinæ pedibus repugnat, collectæque in altum rostro & unguibus totæ teguntur, Accipiter simulac pugnam animadverterit, advolat Noctuis opem allaturus, atque ita quodam naturæ consensu eis auxiliatur. Nam & Noctua apud Athenienses victoriæ hieroglyphicum fuit, de qua suo loco, quæ ad rem spectant, diximus.

Sed minimè *πτεροειδὴν* puto ponere, quod in quodam Canone Imperialium militiarum apud Massæos Romæ vidi, militarem ordinem fuisse qui Accipitrem luteum in parma idemdem lutea gestabant. Erant hi, qui Sagittarii Venatores nuncupabantur, qui sub Magistro peditum stipendia faciebant. Sed & alius ordo LAUNI nuncupati, infigne idem Accipitris lutei in parma idemdem lutea gestabant, & sub eodem Magistro peditum merebant: eo tamen discrimine, quod Sagittariorum Accipiter caput in alam lævam vertebat, Launorum in dexteram. Jam de DIVITENSIBUS, Gallicana legione, quorum insigne erat caruleus Accipiter, colore tamen dilutiore, una cum Tauro, in ipsius Tauri commentario dictum invenias.

CELERITAS. CAP. XX.

**D**iodorus per Accipitrem volentem, per quem alii victoriam interpretantur, celeritatem ipse significari tradit: propterea quod in volatu sit omnium volucrum velocissima, vultque significatum ad res domesticas transferri, quæ cito fiant. Leges & Pterophoros apud Plutarchum, Othonia vita, qua locutione tabellarios intelligendum, quorum insignia forent surrecta penna ad celeritatem indicandam. Inde Juvenalis:

*Anxia præcipiti venisset epistola penna.*

AER. CAP. XXI.

**A**ccipiter ad hæc passis alis figuratus, elementum aëris indicat apud Ægyptios Sacerdotes atque adeo alæ pennatorum singulæ aërem significant: utpote solum Avibus proprium, perinde ac aqua Piscibus, terra aliis atque aliis solum est. Animadvertendum vero, locum de penis alisve corruptum esse in impressis Hori codicibus, legique debere, ut in manuscriptis exemplaribus antiquis, *πτεροειδὴν* & *ἀέρος*. Inde quædam desiderari, quæ ad aliud pertinent significatum. Sunt qui ventos ex ea specie significari tradant. Ventus autem nihil aliud est, quam incitatus & fluens aer. Triclinius apud Pindarum Pelopis *πτεροειδὴν* velocissimos exponit. Sunt qui caelestium corporum ortum hinc interpretentur. Nam quæ sidera super horizontem attolluntur, volucrum in morem surgere, & per immensum inane ferri videntur. Pennata vero apud Mercurium talaria, nimirum Homericum illud innuunt, quod verba ipse volucra nuncupavit. Eadem ratione Irin & accipidem

*Virg. lib. 4. & procellipedem vocant, quæ deorum sit internuncia, ut apud Maronem legimus: Irin de celo misit Saturnia Juno.*

*Irin de celo misit Saturnia Juno.*

ANIMUS, CAP. XXII.

**S**edenim cum etiam animi signum sit Accipiter, facile idemdem celeritatis indicium esse potest, cum animi celeritas omnem exuperet velocitatem. Sedenim, sive victoriam, sive hanc quam alii ponunt alacritatem, ex Accipitre significari dixerimus, tantundem esse videtur.

SACERDOTIUM. CAP. XXIII.

**N**eque quidem tabellarii tantum alas gestare iussi, verum etiam Sacerdotes Ægyptii capita habuerunt alis insignia: quod quidem gestamen ideo susceperunt, quod Accipitri ex eo honorem habitum voluerunt, quem dictabant librum olim puniceis literis perscriptum, Thebas ad sacerdotes detulisse, in quo quidem libro, qui cultus, qui que honos diis deberetur, quaque ratione sacra plurima procuranda essent, notatum erat. Hinc eos Sacerdotes à Poëtis nostris Cristatos appellari comperias, ut apud Martialem:

*Linigri fugiunt calvi, cristatæq; turba,  
Inter adorantes cum stetit Hermogenes.*

Habes,



A Habes, honoratissime vir, Accipitris hieroglyphica, lectionem non quidem tuo sublimi ingenio dignam neq; multiplici eruditioni tuae necessariam, sed cultus & observantiae in te meae pignus. Neque enim is ego sum, qui putem te ex dedicatione hac mea vel minimum crescere: sed si illi locus apud te in angulo aliquo concedatur, sciam me laudis plurimum comparaturum. Vale.

# JOANNIS PIERII VALERIANI

## HIEROGLYPHICORUM

### LIBER XXII.

#### DE HIS QUAE PER COLUMBAM TUR- TUREM ET HIRUNDINEM

#### SIGNIFICANTUR

Ex sacris Aegyptiorum Literis.

AD ILLUSTR. HEROINAM VICTORIAM DAVALAM  
PISCARIAE PRINCIPEM.

**M**agni omnino ponderis est Pindari, Lyricorum principis, dictum illud, alio quamvis numero, in hanc certe sententiam:

Carmine res vivunt, carmina rebus egent.

Nam scriptor quantumlibet elegans & eximius, si vana & inania mandare literis aggrediat, puta purpura Simiam vestiat, nihil aliud assequatur nisi, ut omnibus sit derisus atque ludibrio. Si vero facta inclita praclarasq; ab inepto imperitoque scriptore celebrentur, neglecta statim turpiter exolefcent. Hac tum mecum reputo, honoratissima VICTORIA, tuamq; erga desideratissimum conjugem pietatem considero, illiusque res praclare gestas Musarum tuarum elegantia decorari conspicio, fortunatissimum. Principem appello, qui cum tot ante annos à vita migravit, per te quotidie reviviscat, clariorque & illustrior evadat. Te autem non minus beatam, qua materiam susceperis tam insignem, tam celebrari dignam, qua immortalalem gloriam tam illi sit, quam tibi sine dubio paritura: idcirco, vestra plurimum gratulor felicitati. An non ille egregie felix, qui virtutibus omnibus heroicis ornatissimus, rebus tot tantisq; sapientissime procuratis, gloriosissimeq; confectis, post optima illa spolia tam praclara ad Ticinum parta, quasi splendidius nihil in posterum expectare posset, à vita migrans, uxorem te reliqueret tam piam, tam pudicam, tam doctam, tali praesantem ingenio, &q; facundia & arte scribendi praeditam? ut quantum ille rerum gestarum splendore illustris est, tantum tu scribendo, & unum illum celebrando, clarissima passim habeatur: in ambiguoq; posueris, utrum ille res illas prudentius feliciusve fecerit, an tu ea doctius & elegantius victura memoria commendaris. Magnificentiis dicat forte aliquis Artemisiam fecisse, qua marito celebrationis tantae sepulchrum struxerit, ut inter septem orbis miracula nomen habere meruerit. At tu quotidie tuo Mausolea facis, quotidie novas statuas ponis, quotidie columnas erigis, non quas temporis injuria demoliatur aut perdat, sed qua in animis hominum sita, nulla unquam fortuna temeritate labefactari possint, nulla vetustatis edacitate consumi. Quem referent Musa, vivet, merito Poëta clamant, & de classe tua unum isq; summus, fabricas has eludens, exegisse se monumentum aere perennius, regalique, seu pyramidum altius, gloriatur. Vincis igitur Victoria Artemisiam, qua marito nullo non die monumentum aliquod excitat non ex marmoribus aut camentis, qua aliquando fatiscere putrescereque necesse sit, sed ex politissimis poematibus, qua donec erit hominum memoria, summa cum utriusq; laude perdurabunt. Evadnem opponet alius, in qua vulgus majorem quendam affectum charitatemq; dei antit, quod flammis injecta mariti arserit. Imo superstitio major ea fuit, ac perinde execrabilior: utpote que utriq; acciderit perniciofa sibi, quod se ausu temerario tam atrociter dono vitæ privaverit, isq; affligi panis voluerit, quas superi mortem sibi confitentibus statueret: marito autem, quod manens ejus non ea tantum morte tam miserabili mactos reddiderit, sed ut de suppliciis etiam ejusdem, si quis apud manes sensus, aeternum cruciaretur, effecerit. Altera huic non absimilis, P. Cornelia Annia, clam satis femina, qua ne in desolata orbitate superviveret, vitam se ultro in arcam cum viro defuncto damnavit. Sedenim, furor hic, profecto furor, non amor fuit: